



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Politia Corsicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 3. *Qualitas Corsicæ.*

STERILIS: Ita Seneca Consol. ad Heluiam, vbi vocat eam insulam, *saxum nudum, abruptum, ieiunum, immansuetum, horridum, intemperans*: item *aridum saxum, & spinosum, vix ad tutelam incolentium fertile*: & ne exul hyperbolicus locutus esse videatur, apud Strabonem dicitur *ἄρχαία ἀσπερα*, & plerisque suis partibus *ἄσβατος ἰννία*.

MELLE abundat Regio, & CERA ait Diodorus; faui in arboribus reperientis sunt: quanta autem hîc mellis copia arguit quod ait Liuius lib. 40. M. Pinarium Prætorem ex Insulâ 100. millia pondo extulisse.

TAXVS quoque arbor *l'If*, in eâ copiosè prouenit quo mella sunt amariora, vt notat Seruius ad illud Eclogæ 8.

Sic tua Cyrneas fugiant examina Taxos.

Ouidius tamen 1. Amorum Elegia 12 putat hunc amarorem ex cicutâ existerè.

N V M. 4. *Mores Corsorum.*

QVI montana incolunt latrociniis vitam sustentant, ipsi bestiis immaniores, *Strabo, Seneca Consol. ad Heluiam*, nihil esse iis hominibus immansuetius. Capti plerique à Romanis se interficiebant, *idem Strabo*. Serui Corsici si eidem *Straboni* fides, stupidi sunt, & impatientiâ, ac stupiditate dominos obrundunt; si *Diodoro lib. 4.* ad vsum vitæ videntur reliquis seruis præferendi. Iustè inter se viuunt supra alios Barbaros; oues sine pastore certis distinctæ notis nunquam domino suo pereunt; omnes rectè agendi formam iustè obseruant. Mulieris enixæ nulla cura geritur, sed eius loco, vt æger, maritus decumbit in lecto per certos dies. Longæui sunt omnes Corsi, sic *Athenæus*, & *Eustathius*.

N V M. 5. *Politia Corsicæ.*

PRIMI in eam transmisisse videntur Græci Duce Cyrno Herculis filio: postmodum Ligures duce illâ Corsâ de quâ superius. Hîc etiam vestigia Hispanorum agnoscit Seneca, in tegmentis capitis, & calceis Cantabrorum, immo & in quibusdam verbis. Sed

hæc admodum incerta; hoc certissimum, Phocenses circa Olymp. 56. imperante Cyro eò Coloniam deduxisse, testibus Herodoto, & Diodoro; sed paulò post à Tyrrenis eiectos esse. Postmodum hanc cum Sardinia occupauere Carthaginenses, & vtraque potiti sunt vsque ad primum bellum Punicum, quo confecto Romanis cessit Corsica, montanis tamen nunquam subditis, in quos Romani excurrebant, munitiones expugnabant, & aliquot mancipia stupida abducebant, sic *Strabo*. Sub Imperatoribus fuit exilij locus multorum illustrium virorum, vt ait *Seneca* iam citatus. *Plinius* (& ex eo *Capella*) ait suo tempore in eà fuisse xxxiii. ciuitates præter Aleriam, & Marianam, quâ de re vehementer dubitat *Cluuerius*, & meritò.

N V M. 6. De lingua Corsorum.

Ex variis linguis, atque Dialectis erat temperata, vt innuit *Seneca* *Consol. ad Heluiam matrem*: hæc enim Cantabricas agnoscit voces, quibus tamen Græcæ, atque Ligusticæ præualebant.

§. 2. Descriptio Geographica Corsicæ.

N V M. 1. Latus Orientale.

VRBES

- CENTVRINORVM oppidum, aliter Centurinum: hodie *Centuri*, cui adiacet ab occasu Insula *Centuria*.
- Clunium: *S. Catharina*.
- MANTINORVM oppidum: hodie *Bastia*.
- Ara Tutelæ, scilicet consecrata Deo Tutelari Insulæ: hodie *Torre Pelerina*.
- Præsidium Romanorum: circa locum *Torre Vignale*.
- FAVONII portus: hodie *Porto Fauono*; corruptè apud *Ptolemæum* *Filonij* portus.
- Alifta: *Porto Vecchio*.
- Rubra: *Porto Nuouo*.
- SYRACVSANVS PORTVS *Ptolemæo*, SYRACVSIVS *Diodoro*: *Golfo & Porte di Sant-Amanza*.
- Palla *Ptolemæo*, Pallæ *Antonino*: *S. Bonifacio*.

R R r r ij